

De Polycrate, Samiorum tyranno.

Inde ab illo tempore, quo Heraclidarum qui dicitur in Peloponnesum reditu permulti Graeci novas sedes ac domicilia in aliis terris quaerere coacti erant, quoque versus Graeci colonis missis multas terras deinceps occupaverant. Tota enim fere Asiae ora omnibusque maris Aegaei insulis potiti erant, omnes et Thraciae et ponti Euxini oras et magnam Siciliae partem et totam fere Italiam inferiorem coloniis impleverant, etiam in Africa et Gallia Graecorum erant coloniae, ita ut ineunte saeculo sexto nomen Graecum ex angustis finibus longe lateque diffusum atque extensum esset. Atque novis semper coloniis conditis latius usque extendebatur. Quae coloniae fere omnes mercaturae, ad quam excolendam opportunissime erant sitae, magna cum diligentia sese dedebant. Antiquissimis quidem temporibus Phoenices maris imperium tenuerant et Graecorum mercaturam inhibuerant, sed magis magisque repressi erant, ita ut Graeci maris a ponto Euxino ad Aegyptum et Siciliam usque imperium tenerent.

Sed magno Graecis damno erat, quod, quum sui quaeque urbs iuris esset nec singulae firmis inter se vinculis continerentur, suis tantum singulae rebus consulebant. Attamen ea ipsa re praecipue factum est, ut singulae urbes, quum pro suo quaeque ingenio adolesceret, ad magnam pervenirent potentiam. Nam studio et certamine, quo alia aliam potentia auctoritateque superare nitebatur, omnes nervi et singulorum civium et totius civitatis excitabantur et intendebantur. At in ea re fieri non poterat, quin urbes alia alii saepissime impedimento essent. Itaque contentiones et bella inter eas orta sunt. Maius vero periculum Graecis oriturum esse facile erat intellectu, si quis forte populus potens bellum iis inferret. Neque quemquam effugere poterat, ea sola conditione, si Graecorum urbes arctissime inter se coniunctae essent, sperari posse, fore, ut ab hostibus sese defenderent; sin autem suis quaeque viribus, quantum posset, sese defenderet, fore, ut omnes subiicerentur. Haud tamen societas ad libertatem defendendam inita est, quum suas tantum singulae res curarent.

Saeculo sexto medio Graecis duo simul hostes exstiterunt. Ab altera parte Carthagenienses Graecos aggressi ex Corsica expulerunt, in Africa et Sicilia represserunt. Ab altera parte maius periculum exortum est a Persis, qui Cyro rege magnam potentiam assecuti erant. Omnibus enim gentibus finitimis subiectis Cyrus Graecos, qui Asiam incolebant, aggressus est, quibus devictis etiam, qui Europam incolerent, Graecos aggredi in eius animo fuisse Herodotus a) docet, apud quem Cyrus *ποῖσι (Σπαρτιάταις), inquit, ἦν ἐγὼ ἐγαίνω, οὐ τὰ Ἴώνων πάθει εἶσται ἔλλεσχα, ἀλλὰ τὰ οὐκίη.*⁴ Fortissime quidem restiterunt Graeci, qui erant in continente Asiae terra, sed victi subiectique sunt. Qua re Lesbiis et Chiis tantus terror iniectus est, ut ultro Persis se dederent.

Tali modo Graeci, qui Asiam incolebant, ab iis, qui erant in Europa, quasi divulsi, florentissimae Graecorum urbes in potentissimi barbarorum regni provinciam redactae libertateque privatae, quique erant in Europa, Graecis periculum, ne in Persarum ditionem redigerentur, in cervicibus erat.

Eo tempore exstitit vir, qui, postquam imperio insulae haud magnae potitus est et prudentia et audacia et, quum fortuna secunda in omnibus rebus mirum in modum adiuveretur, non solum magnam maris Aegaei insularum partem multasque urbes in continente sitas sibi subiecit, sed etiam eo pervenit, ut principatum maris teneret, id spectasse videtur, ut omnes Graecos, qui insulas et Asiae oras incolerent, in unum regni corpus coniungeret barbarosque reiiceret. Is erat Polycrates, Samiorum tyrannus, cuius viri vitam et res gestas et ingenium moresque narraturus sum. Quem ad finem omnia, quae aut a veteribus scriptoribus memorantur, aut scriptores recentiores gravissimi docent, quantum potui, diligentissime perlegi. Qua in re magna mihi difficultas obstitit, quod multi libri, quibus ad scribendum hunc libellum opus erat, ad manum non erant eosque proximis demum his diebus accepi. Nova deinde difficultas exstitit. Omnibus enim, quae a veteribus scriptoribus de Polycrate tradita sunt, et collectis et perlectis et cum iis, qua a recentioribus scripta sunt, comparatis vix quidquam novi inveniri posse intellexi. Sed multis negotiis distracto mihi tempus non erat, ut aliam rem tractarem. Itaque quae alii vera de Polycrate scripserunt, veterum scriptorum vestigia secutus composui et nonnulla meo quidem iudicio emendavi. Quare lectores, ut benevolos et clementes se praebeant iudices in me, rogo atque oro.

Priusquam vero ad rem ipsam aggrediar, de Samiorum rebus, quae erant ante Polycratem tyrannum, pauca disserere placet, id quod ad rem nostram maxime spectare videtur.

Samus, insula haud magna, sed fertilissima et amoenissima^{b)} in mare Icario sita, orientem versus exiguo intervallo a continente disiungitur, quum Posidium

a) I, 153. — b) Panofka „Res Samiorum“ pag. 6. 7.

promontorium et oppositum in Asia Mycalen septem tantummodo stadiorum fretum interfluat c). Princeps insulae urbs Samus, cuius vetustissima pars Astypalaea vocabatur et in monte sita erat, mari adiacebat freto quadraginta stadiorum a Trogylio, Asiae promontorio, diremta d). Antiquissimis temporibus Cares insulam tenebant e). Deinde post Heraclidarum qui dicitur in Peloponnesum reditum quum Aeoles Penthilo, Orestis filio, duce ex Peloponneso Lesbum profecti essent, prisci Lesbi incolae Chorilao duce Samum aufugerunt. Postea Timbrio sive Tembrio quidam cum Procle Iones colonos Samum deduxit et cum Caribus ita se coniunxit, ut Iones et Cares in unum civitatis corpus coalescerent f).

Ab antiquissimis iam temporibus Samii mercaturam diligentissime exercuerant ob eamque rem ad multas gentes commeaverant, id quod ex coloniis, quas et in Aegaei maris insulis et in Thracia et in Cilicia et in Africa condiderant g), conici potest. Maxime eorum mercatura aucta est, quum Psammetichus, postquam Ioniorum piratarum ope Aegyptiorum regno potitus est, Graecis mercatoribus Aegyptum aperuisset iisque agros incolendos dedisset h). Psammeticho etiam magis Amasis Graecis favit, ita ut mercatura, imprimis Samiorum ad maximam amplitudinem perveniret i). Quantam vero Samii operam dederint, ut navibus valerent, eo percipi potest, quod omnia, quae in re navali apud alios meliora cognoverant, imitabantur. Primi erant Graecorum post Corinthios, qui triremibus usi sunt. Ameinoclem enim Corinthium, qui primus triremes fecit, trecentis fere ante bellum Peloponnesiacum finitum annis Samum arcessiverunt, ut sibi triremes exstrueret k). Itaque brevi ad tantam navalem potentiam pervenerunt, ut Amphicrate rege Aeginetis grave bellum inferre possent l), atque in tota Graecia, quod essent *ἐπὶ ναυμαχίας Ἴωνων ἄριστοι m)*, praedicarentur.

Initio reges Samiorum, ut in omnibus Ionum civitatibus, imperium tenuisse scimus. Sed vix quidquam de his praeter paucorum nomina a veteribus scriptoribus memoriae traditum est neque, quo quisque tempore vixerit, satis constat. Procli, qui cum Timbrione Iones colonos Samum deduxerat, Leagoras in regnum successit, quo regnante Androcles, Ephesiorum dux, Samum insulam expugnavit, sed decem annis post victus et ex insula expulsus est n). Deinde memoratur Amphicrates ex Samiorum regibus, quo regnante Samios Aeginetis magna damna bello attulisse supra iam dictum est. Ultimum Samiorum regem Demotelem fuisse, quo interfecto geomoros sive nobiles regia dignitate sublata rerum potitos esse Plutarchus o) memoriae prodidit. Nobilibus regnantibus Samiorum res magnopere floruisse multis ex rebus conici concludique potest. Iis enim temporibus non solum plurimae Samiorum coloniae conditae multaque bella non sine magna gloria gesta sunt, sed etiam

c) Ibid. pag. 2. — d) Strab. XIV, 1, 14. — e) Panofka pag. 10. — f) Ibid. pag. 12. 13. — g) Ibid. pag. 20–26. — h) Herod. II, 152. — i) Herod. II, 178. — k) Thucyd. I, 13. — l) Herod. III, 59. — m) Pausanias VI, 2, 9. — n) Pausanias VII, 4. Plut. Quaest. Graec. 55. — o) Quaest. Graec. 57.

mercatura aucta artesque magis excultae sunt. Sed simul a nobilibus, qui maxime id egerunt, ut soli imperium obtinerent, ceteri insulae incolae maxime oppressi sunt, ita ut servituti addicti esse viderentur. Quam violentam dominationem cives animo ferebant eo magis iniquo, quo magis et mercatura florente eorum res familiares in dies augebantur et, quid suis viribus valeret, quum in navibus stipendia mererent, cognoverant. Accedit, quod regum imperium multo minus in odio est, quam nobilium. Itaque fieri non poterat, quin omnium odium in optimates converteretur et cives oppressi eorum imperium tollere cuperent. Occasio oblata est. Megareses enim Perinthum, Samiorum coloniam, aggressi sunt. Quo nuncio Samum allato geomori triginta navium classem, quibus novem duces praefecerant, Perinthiis auxilio miserunt. Megareses victi multique capti sunt. Qua victoria Samii, qui in classe erant, elati patriae ab optimatum imperio liberandae consilium ceperunt. Itaque domum reversi Megaresensium, quos ceperant, ope multis ex optimatibus interfectis patriae libertatem restituerunt et ex Megaresensibus, quotquot volebant, civitate donarunt p). Sed haud diu populus imperium obtinuisse videtur. Nam Sylosontem, Callitelis filium, summa rerum potitum esse Polyaeus tradit q). Is enim, quum aura populari frueretur, dux in bello Samiorum contra Aeoles gerendo electus patriae imperium dolo ac vi occupavit. Quod quamdiu obtinuerit, utrum expulsus sit, an usque ad mortem Samiorum tyrannus fuerit, omnino ignotum est r). Neque utrum post Sylosontem imperium ad populum an ad geomoros redierit, usquam apud veteres

p) Plut. l. l. — E. Curtius „Griechische Geschichte“ I, pag. 495. rem hoc modo narrat: „Sie (die Flotte) kehrte siegreich mit einer Schaar megarischer Gefangener aus der Propontis zurück. Es gelang ihrem Führer Syloson, des Calliteles Sohne, die Flottenmannschaft zum Sturze der Verfassung zu bereden; den Megarern wurden die Fesseln abgenommen und beim Herafeste, zu dem die Samier arglos am Strande versammelt waren, ein Ueberfall ausgeführt, bei dem die Behörden des Staates meuterisch niedergemacht, die Rathsfamilien ihrer Rechte beraubt und der Sieg des Volkes ausgerufen wurde. — Natürlich kam auch hier nicht das Volk in den Besitz der Macht, die ihm versprochen war, sondern die Vorkämpfer desselben behielten dieselbe in ihrer Hand.“ cf. Plass „die Tyrannis in ihren beiden Perioden bei den Griechen“ I, pag. 233. — Cui coniecturae equidem assentire non possum. Nam non solum nulla veterum scriptorum auctoritate nititur, sed etiam repugnat Polyaei verbis, qui Sylosontem tradit ad bellum contra „Aeoles“ gerendum ducem esse creatum.

q) Strateg. VI, 45. — E. Curtius l. l. pag. 496. Sylosontem eadem natum esse gente coniecit, qua Polycrates erat. cf. Plass l. l., qui eum fortasse Polycratis avum fuisse dicit. Utraque opinio non nullam veritatis speciem prae se fert.

r) Quum de rebus illis temporibus in Graecia gestis pauca tantum et quasi interrupta ab antiquis memoriae tradita sint, quod nullus praeter Polyaeum scriptor Sylosontis, Callitelis filii, mentionem facit, mirari quidem non possumus neque est in ea re causa, cur Polyaeo fidem non habeamus. Sed vix me facere posse non infitior, quin rem a Polyaeo perturbatam et Sylosontem nostrum eundem, quem Polyaeus (Strateg. I, 23.) Polycratis fratrem dicit, fuisse credam, praesertim quum Polycrates simili arte a Sylosonte fratre adiutus rerum potitus sit.

scriptores memoratum invenio s). Quum vero in omnibus civitatibus, rebus vi commutatis, rerum in ordinem pristinum restituendarum studium exoriri soleat, omnesque, quae sibi erepta sint, recuperare vehementer studeant: M. Dunckero t), qui haud multo post nobiles iterum Sami imperium obtinuisse docet, cui quidem post Polycrates finem posuerit u), facile assentiar. Fortasse etiam post Sylosontem Samiorum respublica in eam formam redacta est, quae timocratia nominatur; quod in plurimis Ionum civitatibus iisdem fere temporibus factum esse scimus v). —

Eo tempore Polycrates, Aeacis filius w), summa rerum potiundi cupidus auram popularem captabat. Nam quum divitiis abundaret, et sumptu vitaeque magnificentia et splendore omnium oculos in se convertere et liberalitate civium animos sibi conciliare studebat x). Deinde Pantagnoti et Sylosontis fratrum quindecimque y) coniuratorum auxilio adiutus summa rerum vi pariter ac dolo potitus est z). Samios enim, quum diem festum lunonis agerent et post pompam in eius templum publicum sacrificium facturi arma deposuissent, Pantagnotus et Syloson et qui cum iis erant, armis occupatis, aggressi trucidarunt. Polycrates interea cum paucis, qui insidiarum participes erant, opportunissima urbis loca praeoccupavit atque Astypalaeam arcem munivit et, arcessitis a Lygdamide, Naxiorum tyranno, militibus, totam insulam sibi subiecit a) subiectamque usque ad vitae finem obtinuit. Initio quidem Pantagnotum

s) Panofka (pag. 27.) Demotelem regem post Sylosontem regnantem facit, quo iure non video. Nam neque Polyaeus, qui Sylosontis, Callitelis filii, neque Plutarchus, qui Demotelis regis unus mentionem facit, quidquam memorat, ex quo conici possit, Demotelem Sylosonti in regnum successisse aut omnino post eum regnasse. Equidem vero ex Plutarchi (l. l.) verbis: *Ἐχόντων τῶν Γεωμόρων τὴν πολιτείαν μετὰ τὴν Δημοτέλους σφαγὴν καὶ τὴν διάλυσιν τῆς ἐκείνου μοναρχίας* Demotelem legitimum fuisse Samiorum regem conici posse censeo. Sylosontem vero rerum potitum esse, quum dux creatus esset *Ἰσχυροῦς δημοτικῶς εἶναι δοκῶν* Polyaeus (Strateg. VI, 45.) narrat. Quibus verbis dictum esse puto Sylosontem a populo, penes quem tum temporis summa rerum fuerit, creatum esse ducem. — Bellum denique, ad quod gerendum Syloson dux electus est, quo tempore gestum sit, accurate constitui non potest.

t) Geschichte des Alterthums IV, pag. 99. — u) l. l. pag. 435. — v) cf. Duncker l. l. pag. 101.

w) Herod. III, 39. — Duncker l. l. pag. 503. Polycratem nobili genere natum dicit; Curtius l. l. pag. 496. plebeio genere ortum fuisse eiusque maiores mercatura ingentes sibi divitias paravisse. — Inde, quo genere Polycrates oriundus fuerit, omnino incertum esse vides.

x) Athen. XII, pag. 540. E. *Πρὸ δὲ τοῦ τυραννῆσαι κατασκευασάμενος στρωμνὰς πολυτελεῖς καὶ ποτήρια ἐπέτρεπε χρῆσθαι τοῖς ἢ γάμον ἢ μείζονας ὑποδοχὰς ποιουμένοις.*

y) Herod. III, 120. *τὴν (Σάμον) τῶν τις ἐπιχωρίων πεντεκαίδεκα δπλίτησι ἐπαστάς ἔσχε.*

z) Polyaeus. Strateg. I, 23, 2. Herod. III, 39. 120. — Herodotus, qui multa nobis de Polycrate narrat, neque quibus rebus ad tyrannidem viam sibi muniverit, neque qua ratione eam occupaverit, accurate memoriae tradit. Unus Polyaeus (l. l.) satis copiose rem narrat.

a) Polyaeus. l. l.

et Sylosontem imperii participes fecit. Sed haud ita multo post b), Pantagnoto interfecto et Sylosonte civitate expulso, totum ad eum unum rediit imperium c).

Quo anno id factum sit, et veteres et recentiores rerum scriptores maxime inter se dissentiunt. Veterum quidem scriptorum duo tantum et maxime inter se discrepantes eum constituunt d). Eusebius enim e) eum Ol. 62, 1. i. e. anno 532., a. Chr. n. Samiorum tyrannum factum esse memorat f). Suidas vero g) Polycratem Ol. 52. i. e. anno 572. a. Chr. n. imperium iam obtinuisse tradit. Suidae auctoritate nullus, quantum scio, recentiorum rerum scriptorum in constituendo illo anno nititur; Eusebium autem multi secuti Polycratem anno 532. a. Chr. n. rerum potitum esse contendunt, inter quos imprimis Clinton h). Sed si ea computatio recta esset, Polycrates, quum eum aut exeunte anno 523. a. Chr. n. aut ineunte 522. necatum esse inter omnes constet, decem tantum annos tyrannidem obtinisset; quod quidem temporis spatium tam exiguum est, ut omnia ea, quae Polycratem gessisse veteres scriptores memorant, intra id tempus gesta esse vix credere possimus. — Alii recentiores rerum scriptores Heerenium i) secuti Polycratis tyrannidem initium cepisse volunt anno 540. a. Chr. n.; quo iure, non video, quum nullum sit veterum scriptorum testimonium, quo nitantur. — Bentleius k) vero circa Ol. 53, 3. sive annum 565. a. Chr. n. Polycratis tyrannidis initium, circa Ol. 64. 1. sive annum 523. a. Chr. n. finem statuit aetate Pythagorae computata nisus. Bentleio Panofka l) et

b) Siquidem fides habenda est, quod non videtur, Anaximenis quae fertur epistolae apud Diogenem Laertium (II, 5. cf. pag. 22.), tres illi fratres etiam postea, quum Pythagoras Crotonem migrasset, Samiorum imperium inter se divisum tenebat. cf. infra not. e.

c) Herod. III, 39. Etym. M. v. *Αστυπαλαία*.

d) Herodotus (III, 39. 120.) tempore non constituto Polycratem rerum potitum esse paucis tradit. Neque Thucydidis (I, 13.) verbis quidquam aliud inest, nisi Polycratem regis Cambysis temporibus mari potentem fuisse.

e) Ol. 62, 1. „Apud Samum tyrannidem exercent tres fratres, Polycrates, Sylus (sic!) et Pantagnotus.“

f) Duncker (l. l. pag. 504.) Eusebium Polycratis tyrannidis initium in anno 532. propterea posuisse opinatur, quod usque ad eum annum Phocaeenses mari potentissimi fuerint, iis vero victis ad Polycratem maris imperium transierit.

g) v. *Ανακρέων*. „Γέγονε κατὰ Πολυκράτην, τὸν Σάμιον τύραννον, ὀλυμπιάδι νβ“. Alter est eiusdem scriptoris locus v. *Ίβυκος* — „εἰς Σάμιον ἦλθεν, ὅτε αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης ὁ τοῦ τυράννου πατῆρ' χρόνος δὲ οὗτος ὁ ἐπὶ Κροίσου, ὀλυμπιάς νδ“. qui tamen locus integer non esse videtur.

h) Fast. Hellen. ad annum 532. — Clinton offensus Diogenis Laertii verbis, qui (II, 2.) Anaximandrum tradit floruisse κατὰ Πολυκράτην, τὸν Σάμιον τύραννον, statuere videtur „maiores Polycratem, quum Anaximander maior fuerit, quam qui nostri Polycratis temporibus floruerit.“

i) Hist. antiq. pag. 204. — k) Resp. ad C. Boyle de aetate Pythag. — l) l. l. pag. 29. sqq.

Plass m) et Curtius n) assentiuntur. Pythagoram Samum reliquisse et Crotonem migrasse, quia patria a Polycrate fuerit libertate privata, Diogenes Laertius o) alii- que narrant. Cicero id anno 532. a. Chr. n. factum esse dicit p) quocum consentit Iustinus q). Inde sequitur, ut anno 532. a. Chr. n. Polycrates Samiorum tyrannus iam fuerit. Quum vero Polycrates Pythagoram in Aegyptum proficiscentem Amasidi regi, quocum tyrannide potitus foedus inierat, epistola scripta commendaverit r), aliquot iam annis ante annum 532. eum Samiorum tyrannum fuisse et cum Amaside amicitiam iniisse necesse est. Quam rationem satis affirmat Strabo s), qui Pythagoram in Aegyptum et Babylonem profectum esse dicit, quum in patria tyrannidem orientem vidisset. — Sed dubito, an ex constituta Pythagorae aetate quidquam certi de Polycratis tyrannidis initio effici non possit. — Alii denique, inter quos Dunkert), Polyaeni et Herodoti auctoritate nisi computando eo pervenerunt, ut Polycratem anno 536. a. Chr. n. i. e. Ol. 61, 1. Sami rerum potitum esse credant. Polycrates enim Lygdamidis auxilio in occupanda tyrannide usus est u). Lygdamis autem a Pisistrato tertium Athenis potito Naxiorum tyrannus constitutus est v). Quum vero Pisistratus Athenis tyrannidem tertium reciperet anno 538. a. Chr. n. w), ut Lygdamis non ante annum 537. Naxiorum et Polycrates non ante annum 536. a. Chr. n. Samiorum tyrannus factus sit, sequitur: id quod etiam iis, quae supra de Pythagorae aetate dicta sunt, affirmari videtur. Plass quidem x) eam computationem

m) l. l. pag. 235. sq.

n) l. l. pag. 501. „Als Cambyses den persischen Thron bestieg, war Polycrates über ein Menschenalter im ungestörten Besitz seiner Macht und Herrlichkeit.“

o) VIII, 1, 3. „Εἶτα ἐπανῆλθεν εἰς Σάμον καὶ εὐρῶν τὴν πατρίδα τυραννομένην ὑπὸ Πολυκράτους, ἀπῆρξεν εἰς Κρότωνα τῆς Ἰταλίας.“

p) de republ. II, 15. — q) XX, 4.

r) Diog. Laert. I. l. (Πυθαγόρας) ἐγένετο οὖν ἐν Αἰγύπτῳ, δηρῶνα καὶ Πολυκράτης αὐτὸν Ἀμασίδι συνέστησε δι' ἐπιστολῆς.“

s) XIV, 1, 16. „Πυθαγόραν ἰστοροῦσιν ἰδόντα φρομένην τὴν τυρανίδα ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν καὶ ἀπελθεῖν εἰς Αἴγυπτον καὶ Βαβυλώνα φιλομαθείας χάριν ἐπαυόντα δ' ἐκεῖθεν, ὁρῶντα ἔτι συμμένουσιν τὴν τυρανίδα, πλεύσαντα εἰς Ἰταλίαν ἐκεῖ διατελέσαι τὸν βίον.“

t) l. l. pag. 321. — Georgius Grote „Geschichte Griechenlands, übersetzt v. Meissner“ II, pag. 511. annum, quo Polycrates rerum potitus sit, diserte non constituit, sed id factum esse dicit intra annos 536—532. a. Chr. n.

u) Polyaen. Strateg. I, 23, 2. „μεταπεμφόμενος παρὰ Ἀνγδάμιδος, τοῦ Ναξίων τυράννου, στρατιώτας.“

v) Herod. I, 64. „Πεισίστρατος τὸ τρίτον σχῶν Ἀθήνας ἐξήλιξσε τὴν τυρανίδα. Καὶ — Νάξον — κατεστρέψατο πολέμῳ καὶ ἐπέτρεψε Ἀνγδάμι.“

w) Dunker l. l. pag. 314. — Clinton (Fast. Hellen. Append. c. 2. de Pisistratidis) Pisistratum anno 537. a. Chr. n. tertium Athenis tyrannum factum esse contendit.

x) l. l. pag. 235. sq.

refutare studet, sed argumento non satis gravi ac firmo. Dicit enim „Lygdamidem quidem appellatum esse a Polyaeo Naxi tyrannum, sed eum revera tunc iam tyrannum fuisse affirmatum non esse,“ ita ut in Polyaei verbis *Λυγδάμις, ὁ Ναξίων τύραννος*, haec vis insit: Lygdamis, qui postea Naxiorum tyrannus factus est. Addit „Lygdamidem iam illo tempore Pisistratum, quum is Eretriae fuerit, pecunia et militibus adiuvisse; cur igitur etiam Polycrati, sicut postea Pisistrato, auxilio venire non potuerit?“ Quae argumentatio levior est, quam quae probari possit. His quidem, qui Polycratem dicunt anno 565. a. Chr. n. tyrannide potitum esse, potest fortasse ea de re fides habenda esse videri, quod eo tempore Milesiorum civitas libera erat, postea vero, quum Persis subiecta esset, Polycrates bello contra eam civitatem gesto etiam cum Persis sibi bellum conflasset. Sed videtur tantum. Bellum enim illud y) Milesii gesserunt, ut mercaturam tutarentur; Persis vero urbium subiectarum res domesticae curae non erant. Satis igitur diligenter et accurate perspecta re eos maxime sequendum esse censeo, qui tyrannidis initium Ol. 61, 1. = 536. a. Chr. n. statuunt. Attamen negari non potest, annum, quo Polycrates rerum potitus sit, tam accurate constitui non posse, ut in dubium vocari omnino non possit. —

Tali igitur modo imperio potitus Polycrates id primum egit, ut dominationem et in Samo insula et contra hostes externos muniret; quae erat res haud facilis. Cives enim, quum impetu inopinato perturbati magis et obstupefacti, quam victi essent, omnem libertatis recuperandae occasionem avidissime amplexuros esse non ignorabat. Et licet eius dominatio multitudini non fuerit invisae, quum iam antea liberalitate animos sibi conciliavisset z), rem tamen eo perducere non potuisse videtur, ut a multitudine adiuveretur. Cur enim cum quindecim tantum viris contra civitatis libertatem coniuraverat? Pisistratus quidem, Athenarum tyrannus, qui una populi factione nisus eiusque auxilio et ope adiutus rerum potitus erat, eiusdem potissimum factionis auxilio et ope dominationem retinebat. Polycrates vero, qui, paucis tantum civibus adjuvantibus, externo maxime auxilio imperium occupaverat, civium auxilio dominationem tueri non poterat. Itaque quum multitudinis gratiam ad dominationem obtinendam non sufficere bene intelligeret, pecunia et militibus mercenariis usus est. Magnum igitur sibi militum numerum multis ex terris mercede conduxit, inter quos erant mille sagittarii, quibus commisit corporis custodiam a).

y) cf. pag. 12. — z) cf. pag. 8.

a) Herod. III, 39. 45. 54. — Herodotum (III, 39. *ἔκτητο δὲ χίλιους τοξότας*) iusto minorem militum numerum prodidisse memoriae facile intelligitur. Copiis enim tam exiguis magna illae res, quae Polycrati ascribuntur, gestae esse omnino non possunt. Quare si mille illos sagittarios regiam, ut ita dicam, cohortem fuisse credimus, cui corporis custodiam commiserit, haud quidem nobis errare videmur, quum ipse Herodotus (III, 45 cf. 54. *τῶ ἐπίκουροί τε μισθοῦτοὶ καὶ τοξόται οἰκίηοι ἦσαν πλήθει πολλοί.*) Polycrati magnam et mercenariorum et sagittariorum multitudinem fuisse tradat.

Neque minus imperium suum firmavit foederibus cum exteris tyrannis initis. Lygdamis Naxiorum tyrannus ei tyrannide potituro milites auxilio miserat. Quum vero Lygdamis arctissime coniunctus esset cum Pisistrato b), quin Polycrates per Lygdamidem etiam cum Pisistrato coniunctus fuerit, haud facile dubitare potest. Praeterea Astypalaeam arcem magnis firmisque operibus munivit, ita ut esset firmissimum praesidium eiusque ruinae etiam nostris temporibus admirationem moveant c). Neque eum, quin civium aliquam partem plurimorum tyrannorum more sibi conciliaret, omisissè puto. Quamquam enim veteres scriptores nihil de hac re aperte tradiderunt, tamen ex iis, quae memorant, eum, ut pauperes cives in suas partes traheret, operam dedisse conici posse videtur d). Atque etiam eos cives, quibus multis Polycratis rebus gestis magna commoda afferebantur, eius imperio favisse facile intelligitur. Neque abhorruit ab iniquis atque atrocibus consiliis, ab iniuria et vi, ut aut imperium firmaret aut periculum aliquod averteret. Omne enim imperium vi occupatum nisi vi adhibita obtineri non potest. —

Non minus periculum eius dominationi ab externis hostibus impendebat. Persarum enim res eo tempore maxime florebant; omnibus Ionum in continente urbibus expugnatis, Lesbo et Chio insulis in ditionem acceptis, Babyloniorum regno everso maximum periculum erat, ne Persae Ionum et Phoenicum classe Samum ceterasque maris Aegaei insulas aggredierentur sibi que subiicerent. Itaque urbem, ne facile expugnari posset, magnis moenibus turribusque munivit ipsaque moenia fossa magna altaque, quam Lesbios captos e) fodere iussit, circumdedit f). Atque etiam cum Amaside, Aegyptiorum rege, donis missis vicissimque receptis amicitiam ac foedus iniit g). Aegyptiorum enim regnum post Persas omnium eius temporis potentissimum erat. Amasidi vero, quum Lydos et Babylonios contra Persas adiuvare et defendere neglexisset, quumque studium expugnandi, multis terris expugnatis, in Persis maxime auctum esset, non minus a Persis periculum, quam Polycrati instabat. Commune igitur periculum Polycratem et Amasidem coniunxit h). — Quum vero sociorum auxilium non semper certum atque in sua ipsius virtute firmissimum praesidium positum esse haud ignoraret: id potissimum egit, ut quam maximum navium, quibus se ab omnibus hostibus defenderet, numerum sibi pararet. Qua in re maximo ei commodo erat, quod Samii eo tempore plurimum mari valebant i). Itaque

b) Herod. I, 64.

c) Polyaen. I, 23, 2. — Curtius I. I. pag. 500. cuniculum, qui ex arce ad mare ferebat, a Polycrate exstructum esse dicit, consentitque cum eo Georgius Grote I. I. pag. 518. dicens cuniculum illum factum esse a Polycrate verisimile esse. At Herodotus (III, 146.) Maeandrium, qui Polycrate mortuo Samiorum tyrannide potitus est, cuniculum illum fecisse expressis verbis tradit.

d) Zenob. Cent. V, 64. — e) cf. pag. 12. — f) Herod. III, 39.

g) Herod. I. I. — Amasis duas ipsius statuas ligneas misit, quas quidem Herodotus in Iunonis templo collocatas vidit. II, 182.

h) cf. Duncker I. I. pag. 504. sq. — i) cf. pag. 4.

brevi tempore classem centum navium quinquaginta remorum paratam habebat k). Quae vero naves, quum minores infirmioresque essent, quam quibus bella illa maritima, quae traduntur, gerere potuisset, sequitur, ut etiam triremes habuerit; id quod etiam Herodotus l) affirmat, qui Polycratem regi Cambysi quadraginta triremes misisse tradit. Praeterea multi veteres rerum scriptores Polycratem novum genus navium, quae et ad bellum gerendum maxime fuerint accommodatae et a Samo insula Samiae appellatae sint, invenisse tradunt m). Quare Duncker n) haud iniuria Polycratem praeter illas centum naves certe octoginta triremes habuisse videtur censere. — Milites classarios Polycrates maximam partem ex Samiis, omnium lonum in re navali exercitatissimis fortissimisque o) conscripsisse videtur p). Tanto igitur exercitu tantaque classe imperium munivit. Ut vero haberet, quo magnum illum militum numerum aleret sumptusque, quos in classe paranda aliisque rebus ponebat, sustineret, rem piraticam exercuit quam maxime totumque mare Aegaeum infestum reddidit. Et insulas et continentis urbes adortus est omniaque tulit atque egit neque amicis pepercit, amicis se gratius facturum ratus reddendo, quae abstulerat, quam si nunquam abstulisset q) Ex insidiis aggressus est et cepit naves omnium, qui eius amicitiam aut non petierant aut non redemerant r). His vero rebus quum etiam mercaturae omnium civitatum maxima damna inferret, non solum multarum civitatum, ut Corinthiorum s), odium sibi contraxit, sed etiam multa eaque gravia bella ei orta sunt. Milesii, quod mare infestum redderet et mercaturam omnino impediret, maxime offensi bellum parabant t); sed tamen, quamquam Lesbii quoque omnibus suis navibus auxilio venerant, una cum his plane victi Lesbiorumque multi capti sunt u). Veteres quidem rerum scriptores id unum tantum bellum cum Milesiis gestum, quod Polycrati ex re piratica ortum sit, memorant; sed ex illis bellis, quibus multas eum insulas et continentis urbes expugnasse constat, multa ex eadem causa orta esse facile creditur. Quibus in bellis, sicut in omnibus rebus tam dextera usus est fortuna, ut imperium maxime augetur eiusque fortuna in omnium ore esset v).

k) Herod. III, 39. — l) III, 44.

m) Athen. XII, pag. 540. E. Suid. v. *Σαμαίνη*. Hesych. v. *Σαμακός τρόπος*. Plut. Pericl. 26. — n) l. l. pag. 505.

o) Pausan. VI, 2, 9. *ἐπὶ ναυμαχίας Ἴωνων ἄριστοι*. — p) Herod. III, 44.

q) Herod. III, 39. *τῶ γὰρ φίλῳ, ἔφη, χαριεῖσθαι μᾶλλον ἀποδιδούς τὰ ἔλαβε ἢ ἀρχὴν μηδὲ λαβῶν*. Polyæn. strateg. I, 23, 1.

r) Diod. excerpt. Vatic. pag. 33. — s) cf. pag. 19.

t) Panofka l. l. pag. 33. locum affert, qui est apud schol. ad Aristoph. Plut. v. 1075, ubi Polycrates cum Milesiis, quibus omnes conatus prospere evenerant, foedus icturus hac de re Apollinem consuluisse dicitur. Responsum esse *πάλαι πόντ' ἦσαν ἄλιμοι Μιλήσιοι*; quo oraculi responso a foederis ineundi consilio eum aversum esse videri. — u) Herod. l. l.

v) Herod. l. l. *ὄκον γὰρ ἰθύσειε στρατεύεσθαι, πάντα οἱ ἐχώρει εὐτηχέως*. — Strab. XIV, 1, 16. *ἦν δ' ὁ μὲν τύχη λαμπρός*. Cic. de Fin. V, 30. Nihil acciderat ei, quod

Brevi enim tempore eius res ita creverunt, ut totius maris Aegaei imperium tene-
ret w), multasque maris Aegaei insulas multasque continentis urbes subiectas habe-
ret x). Quis enim ei resistere poterat, praesertim quum Phocacenses, qui antea
mari potentissimi fuerant, a Persis victi eorumque opes deletae, Milesiorum debili-
tatae essent, in Graecia vero nulla fere civitas multum mari valeret? — Parvis
igitur ab initiis novum, quum Graeci Asiam incolentes a Persis subacti essent, Grae-
corum imperium ortum erat et brevi tempore ad magnam potentiam pervenerat
quique ei praeerat, fortuna dextera, prudentia, in consiliis exsequendis audacia,
fortitudine omnes homines superabat, eiusque milites fortissimi erant exercitissimi-
que ipsique maxime dediti devotique; milites enim ei, quo duce victorias et praedas
parant cuiusque vestigia fortuna dextera sequitur, quasi addicti sunt.

Quae quum ita se haberent, quid mirum, quod Polycrates, consilii audax,
fortuna sua confisus etiam maiora petiit? Consilium enim, omnes insulas omnesque
Graecos, qui Asiam incolerent, imperio suo adiungendi barbarosque repellendi mo-
litus est y). Ac sane potens omnibusque hostibus terribile id imperium fuisset, si
omnes Aegaei maris insulae omnesque in Asia Graeci a Polycrate in unius civitatis
corpus coniunctae fuissent: facile labore Persae reprimi potuissent et Graeci a pe-
riculo, quod a Persis instabat, liberi fuissent. Cui enim classem illam a paucis
tantum illis Ionum urbibus insulisque, quae ad Ladam insulam pro libertate contra
Persas dimicaverunt, missam, trecentarum quinquaginta trium navium fuisse ignotum
est? — Illud igitur consilium ut assequeretur, optimas pro sua prudentia rationes
secutus est. Iam omnes Iones, quum Persarum iugum aegerrime ferrent, facillime
contra Persas coniungi potuisse fortasse crederes. At, quod Ionum civitates suas
quaeque tantum res, salute communi omnia, curarent, maxime obstitit. Ob eam
enim ipsam causam etiam prudentissimum illud Thaletis consilium, ut omnes contra
Persas sese coniungerent, spreverant z). Alia igitur consilii exsequendi via non

nollet. Valar. Max. VI, 9, 5. Omnes conatus eius placido excipiebantur itinere; spes certum
cupitae rei fructum adprehendebat; vota nuncupabantur simul et solvebantur; velle ac posse in
aequo positum. Dio Chrysost. Orat. XVII, pag. 251.

w) Thucyd. I, 13. III, 104. Strab. XIV, I, 16. ἦν δ' ὁ μὲν . . . δυνάμει λαμπρὸς, ὥστε
θαλαττοκρατῆσαι. Max. Tyr. Diss. V, pag. 73. XXXV, pag. 165. cf. Herod. III, 122.

x) Herod. III, 39. Thucyd. I, I. Iam ante Polycratem tyrannum Samii in continente in
Priensium confinio agros sibi quaesivisse videntur (Panofka I. I. pag. 14, 20. 99.). Quos agros
eos etiam Polycrate regnante possedisse facile putemus, praesertim quum Polycrates urbes quo-
que in continente sitas sibi subiecisse tradatur. Sed Samios eas possessiones a Persis haud
facile defendere potuisse considerantes facile adducimur, ut Samios Polycrate regnante eas non
retinuisse credamus. Polycrates vero urbes illas in continente sitas, quas cepisse traditur, Persis
non eripuisse, sed eas coegisse videtur, ut etiam sibi tributa solverent. Nam quum in conti-
nente sitae essent, a Persis eas defendere non poterat.

y) Herod. III, 122. Πυνθάνομαι ἐπιβουλεύειν σε πρήγμασι μεγάλοισι κ. τ. λ. et
paulo ante: ἐλπίδας πολλὰς ἔχων Ἰωνίης τε καὶ νήσων ἄρξεν. — z) Herod. I, 141 sqq.

erat, nisi ut eas sibi subiiceret. Sed etiam animos sibi conciliare studebat, quare domesticis rebus non minus, quam bellicis, consulebat. Graeci igitur illorum temporum pietate erga deos insignes erant et oracula maxima auctoritate florebat, ita ut Graeci nihil fere agerent, nisi deo suadente nullaque aliquis re magis in civium gratiam et amorem venire poterat, quam pietate erga deos. Neque dii ingratos se praestabant iis, qui largis donis aliisque rebus suo cultui servirent, imo vero eorum rebus maxime consulebant. Scimus enim et Myronem, Sicyonis tyrannum, et Clithenem, qui ei in regnum successit, et Periandrum, Corinthi tyrannum, magnis donis Apolline sibi conciliato imperium confirmasse, atque etiam Croesum, Lydorum regem magnis donis Delphos missis eo pervenisse, ut Spartani dei auctoritate commoti eius amici et socii fierent. — Iam ab antiquissimis temporibus in Delo, insula Apollini sacra, solemnes in eius honorem dies ab omnibus Ionibus maxime celebrati erant a), sed paulatim neglecti denique in oblivionem venerant. Eam insulam Pisisstratus, ut dei sibi et civium gratiam conciliaret, lustraverat b). Neque minore pietate Apollinem coluit Polycrates. Rheneam enim, quam insulam expugnaverat, Apollini consecravit et catenis cum Delo coniunxit c) simulque ludos solemnes Deli restituit d). Quibus ludis fore, ut Iones magis coniungerentur, sperasse videtur. — Ita non solum civium gratiam assecutus est, sed etiam apud omnes Iones magnam auctoritatem sibi paravit. Cives vero ad sui studium perduxit magnis emolumentis magnisque utilitatibus, quae iis praebebat. Quo magis enim ceterarum civitatum mercatura iacuit, eo magis Samiorum aucta est, praesertim quum Polycrates cum Amaside, Aegyptiorum rege, foedere atque amicitia coniunctus esset. Florente autem mercatura civium res maxime creverunt. Divitiis vero, quae ex tributis subiectarum insularum et urbium et ex ingenti praeda Samum confluebant, non solum ut milites aleret, sed etiam ut urbes et insulam exornaret et literis artibusque faveret, utebatur. Itaque quidquid aliis in terris suo in genere nobile ac clarum erat, id Samum transferendum curavit, capuas ex Scyro, ex Mileto oves, sues e Sicilia, ex Epiro canes e). In ea urbis parte, cui Astypalaea nomen est, regiam aedificavit tam splendidam, ut multis saeculis post eam Caligula, quae restitueretur, dignam haberet f). Urbs vero ipsa amplificata et exornata est, ita ut esset omnium urbium et Graecorum et barbarorum prima g). Magnis enim operibus, sicut olim Sicyonis et Corinthi tyranni et Pisisstratus, imperii maiestatem et splendorem augere studebat. Novum in urbe vicum, cui laurae nomen dedit, condidit h). Sami fuisse tria opera maxima, miratu dignissima per totamque Graeciam celebrata Herodotus i)

a) Hom. Hymn. in Apoll. Del. — Thucyd. III, 104. ἤν δέ ποτε καὶ τὸ πάλαι μεγάλη ξύνοδος ἐς τὴν Ἀἴγλον τῶν Ἰωνῶν τε καὶ περικτιόνων νησιωτῶν — καὶ ἀγῶν ἐποιεῖτο αὐτόθι καὶ γυμνικὸς καὶ μουσικὸς, χόρους τε ἀνῆγον αἱ πόλεις.

b) Thucyd. I, I. — c) Thucyd. I, I. et I, 13. — d) Zenob. Cent. VI, 15. — e) Athen. XII, pag. 540. D. — f) Suet. Calig. 21. — g) Herod. III, 139. cf. Athen. XII, pag. 540. F. — h) Athen. I, I. — i) III, 60.

narrat. Quorum primum erat aquae ductus, ab Eupalino Megarensi architecto conditus. Fossa enim octo pedes lata totidemque alta et septem stadia longa per montem excavata erat, ut aquam ad bibendum salubrem Samum in urbem duceret. Alterum erat agger ingens, centum viginti pedes altus et duo stadia longus in mari exstructus, qui portum a maris impetu defenderet et tueretur. Tertium erat Iunonis templum, haud procul ab urbe, omnium maximum k). Quae tria opera utrum sint Polycratis nec ne, nullus ex veteribus scriptoribus diserte tradit. Aristoteles l) quidem Polycratis in Samo insula opera omnibus fuisse notissima affirmat; sed quae fuerint, non dicit. Iam vero si tria illa, quae nominavimus, opera fuerint Polycratis, iure miramur, quod Herodotus, quippe qui de Polycrate multa tradiderit, id non diserte dicit. Recentiores vero rerum scriptores ea in re maxime inter se dissentiunt. Alii enim m) Polycratis fuisse negant, alii affirmant, alii denique illa opera a Polycrate, si non inchoata sint, certe tamen aucta et perfecta esse censent; his equidem assentiendum censeo. Herodoti n) enim verbis *ἵνα ὅτι οἱ Σαμίους τρία ἐστὶ μέγιστα ἐπάνων Ἑλλήνων ἐξεργασμένα* is sensus inesse videtur, ut *»a Samiis«* illa opera exstructa sint. Attamen Duncker o) ex iis verbis haud iure coniciere videtur, opera illa non fuisse Polycratis. Quomodo enim alterum Herodoti locum p) *παρῆναι οἱ τὸν πάμπαν δημοσίῃ ἐπὶ Σαμίων* interpretemur, quum Samios illi Polycratis iussu publicum sepulcrum concessisse manifestum sit q)? Itaque ea a Polycrate exornata et amplificata esse quominus censeamus, non modo nihil impedit, sed etiam verisimile est. Nam quum Polycrates maximam sibi classem parasset, quin etiam portum amplificaverit operibusque a maris impetu tutum reddiderit, nemo erit, qui dubitet. Atque eum ad finem ingens ille agger exstructus fuisse videtur r). Atque quum Polycrates tanta erga deos pietate esset, ut Rheneam insulam Apollini dedicaret, eum Iunonem, deam Samiorum tutelarem, neglexisse credi non potest. Iam Iunonis templum ab eo artis operibus exornatum esse constat s). Sin autem verum esset, quod Pseudopythagoras t) narrat, Polycratem bellum contra Cyrum grave ac diuturnum gessisse eoque tempore templum a Persis incensum esse: illud templum, quod Herodotus vidit, certo a Polycrate fuisset aedificatum. Sed ex illo scripto, quum suppositum esse inter omnes constet, argumentum ducere non licet. — Praeter ea opera, qua a Polycrate, si non exstructa, certe tamen exornata et amplificata sunt, eum arcem munivisse, urbem moenibus fossaque circumdedit, regiam et lauram aedificasse supra iam diximus. Quibus omnibus rebus non solum imperium firmavit et urbem exornavit, sed etiam mobili civium multitudini facultatem dedit victus sibi parandi utque illis operibus occupata res publicas omitteret,

k) Herod. I. I. *νῆος μέγιστος πάντων νηῶν τῶν ἡμεῖς ἴδμεν.*

l) Politic. V, 9, 4. — m) Duncker I. I. pag. 507. not. 4. Panofka I. I. pag. 35. — n) I. I. — o) I. I. — p) III, 55. — q) cf. pag. 20. — r) cf. Plass I. I. pag. 344. Dunker I. I. pag. 104. not. 2. — s) cf. pag. 11. g. et infra. — t) Panofka I. I. pag. 34.

effecit u). Sed etiam ut artes foveret, magna illa opera extruxit. Non minus enim, quam celebratissimi antiquitates tyranni, artes amabat. Quum enim Samus insula iam ab antiquissimis temporibus artium sedes esset (— omnes enim artes ibi florebant: in architectura Rhoecus Samius omnium aequalium celeberrimus erat; aeris fundendi rationem Theodorus Samius invenerat v); artem gemmas levigandi Samii omnium Graecorum primi exercebant —), magna mercede arcessebat artifices probos w), laudibus et magnis praemiis honestum inter artifices certamen excitabat; artificii laude dignis Iunonis templum et regiam exornabat. In Iunonis templo deae statua collocavit, qua nihil elaboratius se cognovisse Appuleius x) dicit. Iam vero statua quaedam eaque quidem minus elaborata superest, quam a Polycrate dedicata esse verba inscripta docent y). Eius vero regiam artificiorum plenam fuisse facile percipitur ex Herodoto, qui Maeandrium, qui post Polycratem Samiorum tyrannus erat, multas res artificiosas Polycratis in Iunonis templo collocasse docet z). Democedem Crotoniaten, qui tum temporis arte medica omnium maxime florebat et primum Aeginetarum, deinde Atheniensium medicus publicus fuerat, Samum arcessivit eique duorum talentorum in singulos annos mercedem dedit a). — Neque minus literas amabat et fovebat. Pythagoram addiscendi studiosissimum in Aegyptum profecturum Amasidi epistola scripta commendavit b). Anacreon poeta, quem Socrates sapientem Teum appellavit, Sami apud Polycratem usque ad eius vitae finem versatus est c), qui, quum tyranno familiarissimus esset, tantam in eum vim habebat, ut eius animum Samiis mitiorem redderet d). Sunt, qui etiam Ibycum apud Polycratem versatum esse velint; sed id mihi omnino non satis constare videtur e). Haud vero minima ideo in laude erat, quod permagnam veterum scriptorum Graecorum copiam Samum congegit f). Nec vero, quod proposuimus, inde refutatur, quod Pythagoras „fastu tyrannico offensus“ patria relicta Crotonem transmigravit g). Quod enim Pythagoras doctrina sua volebat, assequi non poterat nisi in civitate libera.

u) Aristot. Politic. V, 9, 4. παράδειγμα δὲ τούτου τῶν περὶ Σάμον ἔργα Πολυκράτεια πάντα γὰρ ταῦτα δύνανται ταῦτόν, ἀσχολίαν καὶ πένιαν τῶν ἀρχομένων.

v) Pausan. VIII, 14, X, 38. Plin. H. N. XXXV, 43. — w) Athen. XII, pag. 540, D. — x) Florid. II, pag. 15. — y) Winkelmann, Geschichte des Alterthums c. 1, §. 12.

z) Herod. III, 123. τὸν κόσμον τὸν ἐκ τοῦ ἀνδρεῶνος τοῦ Πολυκράτους, εἶοντα ἀξιόθετον, ἀνέθηκε πάντα ἐς τὸ Ἡραῶν.

a) Herod. III, 31. Suid. v. Δημοκίδης. cf. Athen. XII, pag. 522, B.

b) Diog. Laert. VIII, 1, 3. — c) Herod. III, 121. Strab. XIV, 1, 16. Athen. XII, pag. 540, E. XV, pag. 673, D. Paus. I, 2, 3. Aelian. var. hist. IX, 4. XII, 25. Suid. v. Ἀνακρέων.

d) Max. Tyr. Diss. XXXVII, pag. 209.

e) Suid. v. Ἰβυκος — ἐς Σάμον ἦλθεν, ὅτε αὐτῆς ἤρξε Πολυκράτης ὁ τοῦ τυράννου πατήρ. Quae verba suspicionem falsi facile movent.

f) Athen. I, pag. 3, A. — g) Solin. c. 21. Diog. Laert. VIII, 1, 3. Strab. XIV, 1, 16. Dio Chrysost. Orat. XLVII, pag. 524.

Quum et his omnibus rebus et aula splendidissima Iones artibus et vitae splendori deditissimos sibi conciliasset, haud sane procul a fine proposito abesse sibi videbatur h). Atque revera omnes eum hominum felicissimum praedicabant: imperium amplum et firmum; eius nomen per totam Graeciam celebratum et ab Anacreonte carminibus cantatum i); atque quanta eius auctoritas et vis fuerit, ex ea re intelligitur, quod Arcesilaus, Cyrenaeorum rex, regno expulsus Samum confugit et Polycratis ope exercitu ibi coacto regnum recepit k).

Eo tempore foedus, quod erat inter Polycratem et Amasidem, solutum est. Cuius rei diversas veteres rerum scriptores referunt causas. Herodotus quidem, qui deos credit nimiae hominum felicitati invidere neque alios ac se ipsos felices esse pati, indeque gravibus calamitatibus castigare eos, qui ob felicitatem altos sibi spiritus sumerent l), Amasidem amicitiam ac foedus Polycrati renunciasse tradit, quod nimiam eius felicitatem maxima secutura esse mala praevidisset. Fabulam narrat illam notissimam. Ab Amaside enim, quum is magnam Polycratis felicitatem vidisset, metuente, ne dii invidia commoti amicum et hospitem maximis malis obruturi essent, Polycratem literis monitum esse, ut se ipse damno aliquo afficeret et, quod esset carissimum, hoc ipsum abiiceret, quo deorum invidiam averteret. Neminem enim se cognovisse, qui omnibus in rebus fortuna secunda usque usus non in maximas tandem calamitates incidisset. Hisce literis perlectis Polycratem, quum recte sentire Amasidem sibi persuasum habuisset, sapientis amici consilium executum esse; anulum enim pretiosissimum, quo omnium rerum, quas habuerit, uno maxime delectatus sit, abiicisse in mare. Nec ita multis diebus post piscatorem magnum piscem captum Polycrati dono misisse, in cuius piscis praecordiis inventum esse anulum. Quod quum Amasis audisset et sibi persuasum habuisset, Polycrati, quippe qui omnibus in rebus dextera uteretur fortuna atque, quae abiicisset, ea ipsa reciperet, maxima mala instare, hospitium foedusque solvisse m). — Altera sententia Diodori est eaque vero propior esse videtur. Is enim ab Amaside tradidit Polycratem, qui et cives et peregrinos acerbe et crudeliter tractasset, per legatos,

h) Herod. III, 122. *ἐλπίδας πολλὰς ἔχων Ἰωνίης τε καὶ νήσων ἄρξειν.*

i) Strab. I, 1. — k) Herod. IV, 162.

l) Herod. III, 40. *τὸ θεῖον ἐπισταμένῳ ὡς ἔστι φθονερόν. I, 32. τὸ θεῖον πᾶν ἐὼν φθονερόν τε καὶ παραχῶδες. VII, 46. ὁ δὲ θεὸς γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα φθονερός ἐν αὐτῷ εὐρίσμεται ἐὼν. VII, 10. οὐ γὰρ ἐὰ φρονέειν μέγα ὁ θεὸς ἄλλον ἢ ἐαυτόν.*

m) Herod. III, 40—43. Strab. XIV, 1, 16. Cic. de Fin. V, 30. Valer. Max. VI, 9, 5. Plin. H. N. XXXIII, 6. — Is annulus, quem fecerat Theodorus Samius (Herod. III, 41. Pausan. VIII, 14, 8.) smaragdum funda vinctum habebat (Herod. I, 1. Pausan. I, 1.); Plinius (H. N. XXXVII, 1, cf. Solin, c. 46.) autem sardonychem eam gemmam fuisse ostendique Romae in concordiae delubro cornu aureo, Augusti dono, inclusam affirmat; gemmae vero lyram musicam insculptam fuisse Dio Chrysostomus (Protr. III, pag. 185. cf. Clem. Alex. III, pag. 247. A.) docet. — cf. Lessing, Antiquarische Briefe 22.

ut sibi temperaret, admonitum esse et deinde, adhortationibus a Polycrate spretis, hospitium foedusque solutum esse n). Utraque igitur sententia foedus ab Amaside solutum esse consentit; sed qua causa commotus Amasis foedus solverit, de hac re discrepat. Sed rebus, quae fuerint, consilioque, quo Polycrates foedus illud inierit, diligenter perspectis mihi Polycrates foedus solvisse videtur idque Amaside mortuo. Eo enim tempore Cambyses, qui Cyro in regnum Persarum successerat, Aegyptiis bellum paravit ob eamque rem Iones et Phoenices omnes naves mittere iusserat, quae exercitum pedestrem oram praetervehentes in itinere comitarentur eique auxilio essent. Amasis vero, antequam bellum exarsit, mortuus est anno 526. a. Chr. n. In regnum ei successit Psammenitus, vir imbellis. Quae quum ita essent, haud difficile erat intellectu Aegyptios a Persis victum iri. Itaque Polycrates, quum fore, ut Samiorum et Aegyptiorum coniunctae copiae magno Persarum exercitui magnaque classi resistere non possent, sed potius magnum sibi periculum, ne simul cum Aegyptiis vinceretur, oriturum praevidisset: societate, quam cum Amaside, ut tutus esset a Persis, inierat, quum Amaside mortuo tamquam soluta esset, non stetit, sed eam solvit. Haud vero hac societate soluta, quod a Persis instabat, periculum sustulit. Nam Persas, Aegypto subacta, non passuros esse bene cognovit haud procul ab Asia insulam esse ipsorum imperio ditionique non subiectam, neque se unitis Ionum et Phoenicum navibus resistere non posse ignorabat. Itaque non esse suae dominationi salutem nisi in amicitia cum Persis inita ratus Cambysen, quum is Graecis Asiam incolentibus naves imperasset, legatis missis commovit, ut nauticas copias auxilias a se peteret. Tali enim modo se non solum Persarum regem sibi conciliaturum, sed etiam se ipsum ab omnibus iis viris liberum fore sperabat, qui in Samo insula imperium suum aegre ferentes o) novis rebus studebant. Facile quidem ea ratione in Persarum ditionem venire poterat; sed ex duobus, quae instabant, malis elegit minus: principatum agnoscere, quam dominationem amittere malebat, praesertim quum Cambyses reges, qui ultro ei se dedebant, regia dignitate et potestate non privaret. Novarum igitur rerum studiosos delectos quadraginta triremibus Cambysi misit simulque petens ab eo, ne domum eos remitteret. p) Sed quod optaverat, ad irritum cecidit. Samii enim, quos navibus miserat, sive perspecto Polycratis consilio, sive occasionem ad tollendam tyrannidem opportunam rati, seditione facta, Polycratem aggressuri domum reverterunt. Redeuntibus Polycrates obviam profectus et proelio navali victus est, et Samii navibus appulsi insulam intraverunt. Qua re maximum periculum ortum est, ne etiam in urbe Samii contra Polycratem exurgerent seque cum illis coniungerent. Maxima igitur animi praesentia et fortitudine agendum et ad extrema descendendum ratus civium uxores liberosque navalibus inclusos tenebat, eos una cum navalibus se incendio deleturum esse minitans, si cives redeuntibus auxilio esse au-

n) Diod. I, 95. — o) Eusebius — Praep. evang. VIII, pag. 390. C. ed. Viger. — rem verbis exasperat dicens omnes ei infestos fuisse cives. — p) Herod. III, 44.

derent. Tum illos aggressus est et vicit et ex insula expulit. q) Qua ex rebellione novum Polycrati bellum ortum est. Samii enim victi Lacedaemonem confugerunt ibique auxilium contra Polycratem petierunt. r) In Graecia eo tempore omnium civitatum fere soli Spartani republica bene constituta firmaque utebantur et gloria, potentia, auctoritate inter omnes Graecos maxime florebant, ita ut Graeciae civitates inter se de possessione aliqua vel de alia re litigantes haud raro eos sibi eligerent arbitros, ut Athenienses et Megarenses, quum controversiam de Salamine insula haberent. Tali modo totius Graeciae principatum sibi paraverant. — Spartani Samiorum precibus obsecuti sunt s), quum etiam Corinthii operam darent, ut expeditio contra Polycratem fieret t). Quum enim Polycrates mare Aegaeum infestum redderet latrocinii omniumque civitatum mercaturam magnopere impediret, etiam Corinthiis mercaturam facientibus maxima damna illata esse videntur. Quare offensi Corinthii occasionem datam, ut Polycratis imperio sublato mare tutum redderent, praetermittendam non esse putarunt u). Itaque cum Spartanis contra Polycratem se coniunxerunt et expeditionem prompte adiuverunt. Anno 525. a.

q) Herod. III, 45. — Is scriptor eos, qui Polycratem etiam proelio pedestri a Samiis victum esse tradiderint, revincit. Opus enim non fuisse Samiis dicit a Lacedaemoniis auxilium petere, si ipsi satis validi fuissent ad Polycratis imperium frangendum; neque credi posse, qui magnam mercenariorum et sagittariorum multitudinem haberet, eum a parvo Samiorum numero victum esse.

r) Herod. III, 46.

s) Herodotus (III, 47.) Samios affirmasse tradit a Spartanis contra Polycratem bellum susceptum esse referendae gratiae causa, quod Samii ipsis in bello Messenio auxilio fuissent; Spartanos contra se non tam Samiorum precibus commotos contra Polycratem profectos esse, quam ut iniurias sibi a Samiis illatas ulciscerentur. Id vero Plutarchus (de malign. Herod. c. 21. sq.) diluit et falsum esse docuit. Sed etiam Plutarcho non assentio, quum Spartanos contendat gloriae cupiditate et odio, quo fuerint imbuti contra omnes tyrannos, commotos Polycrati bellum intulisse. Nam quamquam apud posteriorum aetatum Graecos Spartani in laudibus erant, quod in omnes tyrannos odio imbuti eorumque imperii tollendi cupidissimi fuissent: nulla tamen exempla, quantum scimus, exstant eos contra tyrannos militasse, ut eorum imperium tollerent, nisi contra Polycratem et Hippam. Hippam vero, quocum hospitium inierant, tamquam oraculo coacti Athenis expulerunt. Quae igitur causa fuerit, qua commoti Spartani expeditionem illam susceperint, me nescire confiteor. Fortasse contra Polycratem profecti sunt auctoritatis, qua apud Graecos multum valebant, augendae causa, vel Corinthiorum aliarumque Peloponnesi civitatum, quibus a Polycrate multa damna illata erant, precibus moti.

t) Herod. III, 48.

u) Herodoti (III, 48. 49.) sententiam, cur Corinthii tam prompte expeditionem contra Samum adiuverint, causam fuisse, quod Samii trecentos illos Corcyraeorum nobilium pueros, quos Periander, Corinthiorum tyrannus, Alyatti, Lydorum regi, Sardes missurus fuisset, liberassent; eaque re Corinthios, quum inimicitias habuissent cum Corcyraeis, in Samios quoque ira incensos fuisse, — eam dico sententiam Plutarchus (de malign. Herod. c. 22.) argumentis allatis plane refellit. Id tamen inde colligi posse videtur, Corinthios ira et odio in Samios ob iniurias sibi illatas inflammatos fuisse.

Chr. n. v) magna classis contra Samum missa est. Polycrates, quum suam classem quadraginta triremibus imminutum non satis validam esse ad resistendum intellexisset, neque hostibus obviam profectus, neque, quominus appellerent, impedire ausus est, sed in urbem maxime munitam se recepit. Hostes urbem obsederunt eamque vehementissime oppugnantes turrem mari imminentem in suburbio iam transceuderant, quum Polycrates magna cum manu propere suis subvenit hostesque reiecit. Simul milites mercenarii et cives ex urbe ab alia turre, quae erat in tergo Ampeli montis, eruptionem fecerunt et fortiter contra hostes pugnarunt; sed quum Lacedaemonios sustinere non possent, fuga urbem repetierunt. Spartani eos acriter insecuti sunt, et urbs capta esset, si omnes eadem fortitudine fuissent, ac Lycopas et Archias. Hi enim una cum militibus illis mercenariis et Samiis in urbem irruerunt, sed a suis interclusi et caesi sunt. Impetu igitur irritato Spartani urbem per quadraginta dies obsessam tenebant; deinde quum eam facile expugnari posse diffident, domum reverterunt w). Herodotus x) famam fuisse memorat Polycratem nummis ex plumbo percussis auroque inductis Spartanos corrupisse, ut domum reverterentur; eam vero famam esse absurdam atque ineptam. — Res tamen suspicione non carere videtur, Spartanos a Polycrate conciliatos esse. Maxime enim mirum est, quod, quum et militum et navium numero Polycrati praestarent, Polycrates vero civibus maxime diffideret y), quadraginta diebus iam defatigati urbis obsidione destiterunt. Fortasse etiam Polycrates Archiam et Lycopam, de quibus supra dictum est, publica sepultura ornavit z), quo Spartanos sibi conciliaret. — Samii, qui Polycrati bellum intulerant, a Spartanis quum essent destituti, aliquamdiu rem piraticam exercentes vagati sunt; deinde in Cretam insulam profecti Zacynthis victis ibi sedes ac domicilia collocaverunt. Sexto vero anno post Aeginetae cum Cretensibus coniuncti eos vicerunt et in servitutem redegerunt a).

Magna igitur Polycrates illa pericula undique orta superaverat. Qui eius imperium tollere studuerant, potentiam eius auxerant. Spartanorum et Corinthiorum coniunctis viribus feliciter restiterat easque repulerat. Itaque Polycratis gloria aucta imperiumque, quum omnes cives, qui novis rebus studerent, civitate expulsi essent, corroboratum erat. Unum tantum periculum idque a Persis supererat; sed quum Cambyses, Persarum rex, Aegypto, Aethiopia aliisque Africae terris expugnandis occupatus esset, id periculum procul abesse videbatur. Usque ad id tempus fortuna dextera omnibus in rebus usus erat; ea etiam tum, quum periculum propius accessisset, se adiutum iri sperabat. Itaque ad consilium illud omnes Iones et in continente et in insulis habitantes suo imperio in unum civitatis corpus coniungendi revertit idque exsequi studebat. Sed „fortuna vitrea est, quae, quum

v) Clinton Fast. Hellen. ad ann. 525. — Weissenborn „Hellen“ Spartanorum contra Polycratem expeditionem anno 530. a. Chr. n. factam esse vult, quo iure, non video.

w) Herod. III, 54—56. — x) III, 56. — y) cf. pag. 18. — z) Herod. III, 55. — a) Herod. III, 57—59. Strab. VIII, 6, 16.

splendet, frangitur«. Sibi optime consulere se putans ad perniciem ruit et crudelissima morte turpiter perit. Oroetes b) enim regis Cambysis praetor, qui Lydiae et Ioniae praefectus Magnesiae sedem habebat, Polycrate capto interfectoque Samum insulam suae provinciae adiacentem Persarum regno adiungere consilium ceperat c). Dolo ac fraude eum cepit. Misit enim ad Polycratem, cuius animum noverat, Myrsum Lydum, qui nunciaret, se in regis Cambysis odium venisse ab eoque interitum sibi parari. Quare se rogare, ut Polycrates veniret seque cum suis divitiis reciperet. Se beneficii memorem tantam ei divitiarum partem daturum esse, ut magnum, quod moliretur, consilium facile exsequi posset. Polycrates pecuniae cupiditate occaecatus Maeandrium scribam, quem habuit fidissimum, Magnesia misit, qui quantum esset divitiarum cognosceret. Cui Oroetes octo arcas lapidibus impletas, auro tectas ostendit. Renunciante Maeandrio d), quantum vidisset divitiarum, Polycrates neque dehortantes amicos et vates, neque filiae, quae per somnum patris fortunam futuram viderat e), preces, ne domo proficisceretur, curans

b) Sic praetoris nomen scribitur apud Herod. III, 120 et aliis locis, Athen. XII, pag. 522. B. Cic. de Fin. V, 30. Max. Tyr. Diss. V, pag. 73. Zenob. Cent. VI, 15. Lucian. Charon. c. 14. — Apud alios (Dio Chrysost. Orat. XVII, pag. 251. et Valer. Max. VI, 9, 5.) Orontes scribitur. — Ceterum non satis accurate Cicero et Valerius Maximus (l. l.) Oroetem regis »Darii« praetorem eo tempore fuisse contendunt, quum fuerit Cambysis.

c) Hinc Oroetis facinus profectum videtur. Simulque ea re iniurias, quibus Polycrates urbes Persis subiectas, omnia ferens et agens, vexaverat, ultus est. Sed fortasse quispiam eam, quam diximus, causam esse non potuisse dixerit, quum Oroetes Polycrate necato Samum non expugnauerit. At multa inciderunt, quibus impeditus esse videtur. Brevi enim post Polycratem interfectum rex Cambyses mortuus et in Persarum regno magna perturbatio orta est. Accedit, quod Oroetes ea perturbatione utens maiora moliri coepit et a Persis defecturus provinciam, cui praefectus erat, a regno avellere studebat. — An Oroetes a Persis defecturus, ut omnium, qui a Polycrate iniuriis affecti erant, gratiam sibi conciliaret, eum necavit? — Herodotus duas fuisse testatur causas, cur ab Oroete Polycratem interfectum esse tum creditum sit. Plures quidem narrasse Mitrobatem, Cambysis praetorem, qui Daseylei fuerit, Oroeti exprobravisse, quod Samum insulam ipsius provinciae proxime adiacentem, quam unus ex Samiis quindecim armatis adiutus occupasset occupatamque teneret, regi non acquisivisset. Quod opprobrium Oroetem tam aegre tulisse, ut Polycratis interficiendi consilium cepisset. (Herod. III, 120.) Qua narratione innutum esse videtur, Oroetem necasse Polycratem, ut Samum insulam facilius expugnaret. — Haud ita multos Herodotus tradit narrasse, Oroetem offensum, quod legatus, quem Samum miserat, a Polycrate neque bene exceptus esset, neque responsum fulisset, de Polycrate vindictam sumsisse. (Herod. III, 121.) — Quae duae causae leviores sunt, quam quibus fidem habeamus. Neque magis nobis persuadent, quae Diodorus (Excerpt. Vatic. pag. 33.) narrat, Oroetem a Polycrate poenas petivisse, quod is Lydos, qui Oroetis gravius imperium fugientes magna cum pecunia Samum se recepissent, interfecisset interfectorumque pecunia potitus esset.

d) Lucian. Charon c. 14. non sine aliqua veritatis specie Polycratem a Maeandrio Oroeti proditum esse tradit.

e) Filia patrem in somnio in aëre suspensum a Iove lavari et a Sole ungui vidit. Quo viso maxime exterrita quum patrem, ne domo proficisceretur, multis precibus peteret, Polycrates nihil motus est, ita ut iocans ad eam diceret, si sospes rediret, fore, ut diu maneret virgo. Herod. III, 124. cf. Wessel. ad h. l. Euseb. praep. evang. VIII, pag. 390. C. ed. Viger.

multis amicis, in quibus Democedes medicus erat, comitantibus Magnesium profectus est et ita incautus et haud providus in insidias incidit. Oroetes eum exeunte anno 523. a. Chr. n. aut ineunte anno 522. f) cepit, interfecit interfectumque cruci affixit g). Polycrate mortuo Samiorum potentia, quae per quatuordecim annos flourerat, celeriter lapsa est.

Iam superest, ut, quae de Polycratis moribus et animo disperse ac dissipate diximus, paucis complectamur. Re vera Polyocrates vir magnus erat et constare existimo eum regem fuisse industrium, ducem fortissimum rei que militaris peritissimum, quippe qui dux et rex quasi natus cum summa prudentia rerumque peritia et audacia miram industriam et constantiam coniungeret. Ante Polycratem tyrannum Samiorum potentia ac vis haud magna fuerat, quippe quorum insula parva esset; Polyocrates vero eorum imperio potitus temporum rerumque conditione prudentissime usus sua prudentia suisque in republica regenda virtutibus mira fortuna dextera adiutus eo potentiae pervenit, ut non solum multas insulas continentisque urbes captas teneret h) et Spartanos Corinthiosque coniunctos repelleret i), sed etiam sperare posset, fore, ut totam Ioniam sibi subiiceret k). Primus erat omnium Graecorum, qui maris imperium non modo sibi parare studebat l), sed etiam tenebat m). Itaque quid coniuncti Iones, si vir fortis iis praecesset, valere possent, ostendit. Quae omnia quod perfecit, magna admiratione dignus est idque eo magis, quod intra quatuordecim annos perfecit.

Iam vero ea re Polyocrates, quod imperium vi occupatum militum mercenariorum praesidio nitebatur, Graecorum tyrannis posteriorum temporum similis erat. Namque qui ante Polycratem fuerant tyranni, civium parte adiuti et rerum potiti erant et obtinuerant. Quos vero milites ut aleret, quum magna pecunia opus esset, ab iniuriis, ut eam pararet, non abhorrebat. Pecuniae cupiditate ductus rem piraticam exercuit et egit et tulit et amicorum et inimicorum res n). Lydos, qui

f) Herod. III, 120. *κατά τον μέλισσα Καμβύσεω νοῦσον*. Cambyses mortuus est anno 522 aut, ut alii volunt, 521. cf. Clinton Fast. Hell.

g) Herod. III, 122—125. Athen. XII, pag. 522 B. Strab. XIV, 1, 16. Dio Chrysost. Orat. XVII, pag. 251. Max. Tyr. Diss. V, pag. 73. cf. 1, pag. 16. Zenob. Cent. VI, 15. Lucian Charon. c. 14. Euseb. I. I. Cic. de Fin. V, 30. Plin. H. N. XXXIII, 6. Valer. Max. VI, 9, 5. — Modus supplicii, quem Herodotus negat relatu dignum esse (*ἀποκείνας δέ μιν οὐκ ἀξίως ἀπηγήσιος Ὀροίτης ἀνεσταύρωσε.*), aliquid sine dubio crudelitatis insigne exemplum habuit. Solebant Persae cruci affigendis capita amputare, ut Histiaeus et Leonidae, aut pellem detrahere; qua excoaratione Persas abusus fuisse opinatus est Casaubonus. cf. Wessel. ad Herod. III, 125. — Clearchus (apud Athen. XII, pag. 540. E.) alium Polycratis finem finxit dicens eum intemperantia et luxuria periisse. cf. pag. 24.

h) cf. pag. 12. — i) cf. pag. 19. sq. — k) cf. pag. 17.

l) Herod. III, 122. *Πολυκράτης γάρ ἐστι πρῶτος τῶν ἡμεῖς ἴδμεν Ἑλλήνων, ὃς θαλαττοκρατέειν ἐπενοήθη.*

m) cf. pag. 13. — n) cf. pag. 12.

Oroetem fugientes Samum se magnis cum divitiis receperant, benigne exceptit exceptosque interfecit, ut eorum divitiis potiretur o). Ipsos cives, sicut peregrinos, qui Samum venerant, magnis tributis et vectigalibus pressisse videtur. p) Pecuniae cupiditate denique occaecatus in ipsas insidias, quas Oroetes ei struxerat, irruit. q) Sed pecuniam sibi parare non studebat, ut divitias accumularet, sed quod ea opus erat ad imperium firmandum et augendum. Magnos igitur sumptus ponebat et in multis, quae gessit, bellis, et in magna classe aedificanda, r) et in urbe aedificiis operibusque per totam Graeciam celebratis munienda et exornanda, s) et in vitae splendore et magnificentia, et in literis artibusque excolendis. t) Atque his rebus summo iure magnis in laudibus erat nihilque iis ex Graecorum tyrannis, qui ob artium literarumque studium maxime celebrati sunt, cessit.

Ut imperium muniret, multa insolenter et minus iusto animo fecisse videtur. Pantagnotum enim fratrem interfecit, Sylosontem civitate expulit. u) Sed idne fecerit ea sola causa, ut imperium singulare sibi pararet, traditum non est. Neque nobis errare videmur credentes eum leges atque instituta, quae erant Sami, non servasse, sed eius voluntatem pro legibus fuisse. Magna illa opera, quae per totam Graeciam celebrata erant, eum extruxisse Aristoteles v) affirmat, et ne cives otiosi novis rebus studerent et ne divitiis nimis abundantes pericula sibi pararent. Huc etiam id pertinet, quod palaestras tamquam sibi periculosas incendi evertique iussit. w) Extrema quidem auxilia expertus est, ut imperium, quum in periculum vocatum est, sibi servaret; x) sed eum crudeli et suspicioso animo non fuisse eo summo iure conici posse videtur, quod illa vitia a veteribus scriptoribus ei non obiiciuntur. Nam quum Graeci miro quodam in tyrannos odio flagrarent, multa facinora quidem afficta tyrannis aut falso tradita esse facile credimus, sed nulla silentio tecta esse censemus. Pythagoras quidem „fastu tyrannico offensus“ patriam reliquisse dicitur; y) sed id vix Polycrati vitio tribui potest ne ea quidem conditione, si eum expulisset. Nam Pythagorae doctrina eius principatui plane contraria erat. Exstat etiam apud Diogenem Laertium z) Anaximenis quae fertur epistola ad Pythagoram scripta, quae ad Polycratis tyrannidem spectare videtur: *Εὐβουλότερος εἰς ἡμέων μεταστάτας ἐν Σάμου ἐς Κρότωνα ἐνθάδε εἰρηνεύεις· οἱ δὲ Αἰάκειος παῖδες ἄλλοις τὰ κακὰ ἔρδουσιν.* Quibus autem verbis si fides haberi potest, quod non videtur, quum parum definita sint, dictum non est, quae fecerint iniuste Aeacis filii, neque ad unum Polycratem ea verba pertinent. Fortasse Syloson, dum fratres inter se divisum imperium ha-

o) cf. pag. 21. not. c. — p) cf. pag. 17. — q) cf. pag. 21. — r) cf. pag. 11. sq. — s) cf. pag. 11. 14. sq. — t) cf. pag. 16. — u) cf. pag. 8. — v) Politic. V, 9, 4.

w) Athen. XIII, pag. 602. D. *Εἰσὶ δὲ (τύραννοι), οἱ καὶ τὰς παλαιότητας, ὅσπερ ἀντιτειχίσματα ταῖς ἰδίαις ἀγορόλεσιν ἐνεπίπρασαν τε καὶ κατέσκαψαν ὡς ἐποίησε Πολυκράτης, ὁ Σαμίων τύραννος.*

x) cf. pag. 18. — y) cf. pag. 16. — z) II, 5.

bebant, crudelem se praestitit. Nam id certe constare videtur eum postea, quum a Persis Samiorum tyrannus factus esset, acerbum in subditos exercuisse imperium. a)

Civium commodis et utilitatibus bene consulebat, quantum id sine suo damno facere poterat. Etenim quum magnos sumptus in urbem exornandam et munendam faceret, pauperibus civibus ea sibi parandi facultatem dedit, quae ad vitam necessaria sunt. Mercaturae vero augendae eum bene consuluisse inter alia etiam eo intelligitur, quod novum navium genus invenit, quae, quum ingentia onera capere possent et simul magna celeritate essent, ad mercaturam faciendam aptissimae erant. Atque quantae ei curae fuerit communi saluti servire, eius rei testimonium est, quod capras et oves et sues ad genus faciendum Samum transferendum curavit. b) Matres eorum civium, qui bellis caesi essent, ne inopia et miseriis premerentur, divitibus civibus alendas tradidit. c) Quod quamquam minus iusto animo fecit, laudandus tamen est, quod eas non neglexit. Quibus omnibus quod etiam suis rebus consulebat, haud iure vitio ei tribuitur.

Virtutem etiam in hoste magni aestimabat. Archiae enim et Lycopae Spartanis, qui hostes in ipsa urbe caesi erant, publicam sepulturam concessit d). Quam ob rem certo maximis laudibus dignus est. Diligens erat deorum cultor. Rheneam enim insulam Apollini Delio dedicavit ibique ludos solemnes instituit e). Alexis quidem in tertio annalium libro f) laudat eum, quod cum alienis uxoribus puerisque supra non fecerit, sed vituperat, quod masculae veneri deditus fuerit, eaque in re Anacreontem poetam aemulum habuisse dicit. Constat quidem apud Polycratem multos pueros forma praestantissimos fuisse ab eoque amatos esse — nominantur Leucaspis g), Smerdis h), Bathyllus i), Cleobulus k); Alexidis verba tamen modum veri excedere videntur. Clearchum vero l) veritatis fidem non modo non servasse, sed falsa finxisse manifestum est narrantem Polycratem delicatae Sami tyrannum, quum imitatus esset Lydorum mollitiem et luxuriam, ob intemperantiam periisse; quod Clearchi iudicium non probatur eo, quod Polycrates vitam degisse videtur cum maximo splendore et maiestate. Ego potissimum Herodoti m) de Polycrate iudicio credo, quod aetate proximus fuit de his, qui de Polycrate eiusque rebus gestis memoriae mandata reliquerunt. Is autem magnis eum laudibus effert dicens: *διεφθάρη κακῶς, οὔτε ἐαυτοῦ ἀξίως, οὔτε τῶν ἐαυτοῦ φρονημάτων· ὅτι γὰρ μὴ οἱ Συρηκοσίων γενόμενοι τύραννοι, οὐδὲ εἰς τῶν ἄλλων Ἑλληνικῶν τυράννων ἄξιός ἐστι Πολυκράτει μεγαλοπρεπείην συμβληθῆναι.*

a) Strab. XIV, 1, 17. *πικρῶς δ' ἤρξεν, ὥστε καὶ ἐλειπάνδρησεν ἢ πόλις κἀκεῖθεν ἐκπεσεῖν συνέβη τὴν παροιμίαν „Ἐζητι Συλοσῶντος εὐρυχωρή“.*

b) cf. pag. 14. — c) Zenob. Cent. V, 64. — d) cf. pag. 20. — e) cf. pag. 14. — f) apud Athen. XII, pag. 540. E. — g) Anacr. fragm. 18. — h) Anacr. fragm. 49. 50. Athen. XII, pag. 540. E. Aelian var. hist. IX, 4. Simonid. fragm. 181. ed. Bergk. — i) Appul. Florid. II, pag. 15. — k) Anacr. fragm. 2, 3. — l) apud Athen. l. l. — m) III, 125.